Nobilissimo viro
Constantino Hugenio Equiti,
Zuilichemi domino etc.
S. P.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir nobilissime

Certatum diu ambiguè pacis negotium tandem extincto acerri[mae] hostilitatis odio arma aeternum sopire velle videtur. Tam exopta plurimorum votis et lachrimis quies ut compacto in claustra marte vexatis terris florescentem reddet faciem, ita quibusdam spem aperiet tentandae felicius fortunae. Me fati varie lacessentis hominem nonnihil erigit praecepta animo temporis istius beatitas, cum per grassantia bella redacto in commendationis angustias amicorum patrocinio, laxius experiundi facultas erit, qua succurrere liceat lapsis eorum rebus, quos sola fortunae acerbitas, offerendis emergendi occasionibus invida, fatigat. Hic cum Principum purpuratis meritorum area pateat, servatisque civibus laurea mercedes spondeat amplissimas, tum tibi inprimis, Vir Nobiliss. campus pandetur apud nos illustrandae, quae sequentibus aliis se conservat ex advigilante virtuti promovendae prudentia, gloriae. Ingens clientium agmen curas istas ambientium ut subintrare conor facit humanitas tua, tantis literati populi experimentis celebrata, quanto eruditionis effulget fastigio. Vibrae istius alumnos, male culpa non sua habitos, soles quandoque (ut incidunt occasionis momenta) in accommodam doctis laboribus requiem inducere, reddita animi, ignobiliter alioquin sortem suam deprecantis, securitate, optimo studiorum coagulo. Huc quoque spectat operam tuam sollicitantis verecundia, quae et desidis arrogantiae, nunquam ambiendo, et stultae confidentiae, semper, notam effugit, metuitque duntaxat ne jurato Musarum sacramento ingratum ad scelerata transfugium obtrudat necessitas, vel usque alio calentes sole mutare persuadeat. Quo ne redigantur suspirantes in imo fundo fortunae, tu, Vir Nobiliss. efficies isto tam benigno laborantibus et validi patrocinii genio. Quem mei loci obsequiis demereri si queam, felicitatis meae auspicia gratulari licebit. Vale Vir Nobilissime et egenti dolorem animo fave. Amstelodami. VII. Calendas May. CIↃIↃCXLVII.

N. T. addictissimus
Isaacus Gruterus

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4581

Grut

Myn Heer

Myn Heer

Constantin Hugens Ridder
heer van Zuilichem, eer. Raad
en Secretaris van syn Hoogh.t
in

'sGravenhaag

49
24

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 10
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4581